

PRO DECLARATIONE APHO-
RISMI XVI. TERTIAE SECTIONIS, AD
has sequentes propositiones, clariss. viro, D.
Mathia Cornario, medicæ artis Doctore,
præsidente, Io. Schröter respondit.

I.

Ex immoderatis anni temporum mutationibus morbos fieri experientia & ratio docent.

II.

Est enim morbus affectus præter naturã primò lædens operationem, quod fit vel mutatis primis qualitatibus, vel alijs ex ijs compositis.

III.

Aëris autem intemperies labefaciat temperaturam primorum corporum seu qualitatum.

IIII.

Id vicissim ex certo motu & cursu siderum, quæ pro suo positu ex commixtione aërem mutant, accidit.

V.

Positus enim & commixtio eorum indicant, quæ, quomodo & quando mutantur tempora.

VI.

Alij autem positus commixtionesque siccitatem, alij humiditatem multitudinemque pluviarum monstrant.

VII.

Ex pluviarum multitudine rectè Hippocrates dicit, longas fieri febres, alui profluvia, putredines, morbos comitiales, apoplexiam, & anginas.

VIII.

In siccitatibus autem & alijs cœli constitutionibus alios esse morbos, qui inde manant, emerguntque.

IX.

Docet enim hoc natura morborum.

X.

Ergo ambientis nos aëris statum cœlique constitutionem, cum morbis vigentibus populariterque grassantibus coniungere prudentes Medicos oportet.

XI.

Incognito enim hoc incommodo, neque morbos futuros providere, neque occurrere orientibus, aut qui iam homines inuaserunt, curare possumus.

XII.

Incommodum hoc causas morbi monstrat, quibus perspectis commodissimè & pharmaca & victus ratio, maximè conuenientia præscribi possunt.

XIII.

Si enim cœli status morbos siccos promittit, danda opera est, ut corpora contraria victus ratione nutriamus: ita etiam si humidi morbi portendatur, cibos exiccantes præbere oportet.

XIII.

Hac ratione futuros morbos auertet fugabitque, vel grassantes, maxima cum utilitate & gloria, curabit Medicus prudens.

XV.

Grauis itaque eorum error est, qui negant sidera in aëra nihil præter serenitatem, imbres, ventos, &c. inducere.

XVI.

Magis etiam ij errare videntur , qui in magnis mutationibus sine vlla cogente necessitate medicinas exhibent.

XVII.

Id enim & rationi & experientia , quibus ars Medica fundata est , maxime aduersatur.

XVIII.

Reclè itaque Hippocrates in medicamentorum administratione non solum Solis et Luna defectiones, aliasq; stellarum magnas configurationes, verum vtrumque etiam cum Aequinoctium tum Solstitium considerari iubet.

XIX.

Adfirmamus etiam Hippocratem aphorismos tertij libri de anni mutationibus, item libros epidemiorum, atque librum de aëre, aquis & locis, propterea conscripsisse, vt eiusmodi, ex arte Astronomica, animaduersis & notatis signis, omnia instrumenta Medica dexterius maioreque cum hominum vtilitate exerceremus.

XX.

Non autem omnes morbos cœlitus fieri, aut ex stellarum commistione emergere necessarium est.

XXI.

Alij enim ex sola victus ratione eueniunt, qui Dispersi vocantur.

XXII.

Alij autem ex communi causa, hoc est, aëre, quando multi eodem tempore simul egrotant, fiunt, et dicuntur
παγκοινοί.

XXIII.

Sunt autem duplices: Alter Endemius, alter Epidemius vocatur.

XXIII.

Epidemius iterum duplex est: Simplex & Pestilentialis. De ijs Hippocrates in nominatis locis loquitur.

XXV.

Soli enim isti cœlitus fiunt, atq; de his ex siderum cursu & motu, Solis Lunaque defectiōibus præfensiones sumimus.

XXVI.

Simplices autem Epidemij fiunt ex mutationibus temporum, quæ qualescunque cœlestes configurationes in aëra inducunt.

XXVII.

Pestilentiales iterum duplices sunt: Simples & misti.

XXVIII.

Simplices, qui ex Luminarium defectiōibus stellis que crinitis, aut planè infauis stellarum fiunt positionibus, quibus aër maximè inficitur.

XXIX.

Mistæ pestilentiae ex his et alijs postea putridis vel vehementissimè siccis constitutionibus commiscuntur.

XXX.

Endemij autem morbi solùm ex putridis iniquationibus fiunt, veluti stagnis, lacubus, paludibus, antris, barathrisque, ex quibus in aëra prauæ fiunt expirationes: item ex cibo vel potu infecto, vnde eiusmodi morbi contingere solent.

In collegio Medicorum, hora VII. antemeridiana, die
XXIII. Octob. Et postea VI. Nouemb. repetita.

Ann. M. D. LI.